



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De hoc si ignis purgatorius credendus sit, qui post mortem animas à
peccatis expurget. lxxviii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

D. BURCHARDI EPIS. VVORMAC.

visos ac cognitos recognoscunt bonos, quos nunquam viderunt. Nam cum antiquos patres in illa aeterna hereditate viderint, eis incogniti per visionem non erunt, quos in opere semper nouerunt. Quia enim illic omnes communi claritate Deum conspiciant, quid est quod ibi nesciat, ubi scientem omnia sciunt? Nam quidam noster & vitae venerabilis vir, religiosusque valde & laudabilis, cum ante triennium moreretur, sicut religiosi alii, qui praesentes fuerunt, testati sunt, in hora sui exitus, Ionam prophetam, Ezechielem quoque & Danielelem, coepit aspicere. Quos dum venisse ad se diceret, & depressis luminibus eis reuerentia obsequium praerberet, ex carne eductus est. Quae in re aperte datur intelligi, quae erit in illa incorruptibili vita notitia, si vir iste adhuc in carne corruptibili positus, prophetas sanctos quos nimirum nunquam vidit, agnouit. Solet autem plerumque contingere, ut egressura anima eos etiam recognoscat, cum quibus pro equalitate culpae, vel etiam praemiorum, in vna est mansione deputanda: quod multi in eo exitu vident, qui aut in regno, aut in supplicio pares habebuntur.

De hoc si ignis purgatorius credendus sit, qui post mortem animas a peccatis expurget. Cap. LXVIII.

*Ex eodē.
Pet. int.
Gre. ref.*

Discere vellem, si post mortem ignis purgatorius esse credendus est. In euangelio dominus dicit: Ambulate, dum lucem habetis, Per prophetam quoque ait: Tempore accepto exaudiui te, & in die salutis adiuui te. Quod Paulus apostolus exponens, dixit: Ecce nunc tempus acceptabile, &c. Salomon quoque ait: Quodcunque potest manus tua facere instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec scientia, nec sapientia erit apud inferos, quod tu prope- ras. Dauid quoque ait: Quoniam in seculum misericordia eius. Ex quibus nimirum sententiis constat: quia qualis hinc quisque egreditur, talis in iudicio praesentatur. Sed tamen de quibusdam leuibus culpis, esse ante iudicium purgatorius ignis credendus est, eo quod veritas dicit: quia si quis in spiritum sanctum blasphemiam dixerit, nec in hoc seculo remittetur ei, neque in futuro. In qua sententia datur intelligi, quasdam culpas in hoc seculo, quasdam vero in futuro posse relaxari. Quod enim de vno negatur, conse-

quenter intellectus patet: quia de quibusdam conceditur. Sed tamen ut prædixi, hoc de paruis minimisque peccatis fieri posse credendum est: sicut est assiduus ociosus sermo, immoderatus risus, vel peccatum curæ rei familiaris: quæ vix sine culpa ab ipsis agitur, qui culpas qualiter declinari debeant sciunt, aut non in grauibus rebus error ignorantia, quæ cuncta etiam post mortem grauant, si ad huc in hac vita positus minime fuerint relaxata. Nam & cum Paulus dicat, Christum esse fundamentum, atque subiungat, si quis super ædificauerit super hoc fundamentum, autum & argētum, lapides preciosos, ligna, fœnum, stipulam, vniuscuiusque opus quale sit ignis probabit, si cuius opus arferit, detrimentum patietur, ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem: quanuis hoc de igne tribulationis in hac nobis vita adhibito possit intelligi, attamen si quis hæc de igne futuræ purgationis accipiat, pensandum sollicitè est: quia illum dixit posse per ignem saluari, non qui super hoc fundamentum ferrum, æs, vel plumbum ædificat, id est, peccata maiora, & idcirco duriora, atque iam tunc insolubilia, sed ligna, fœnum, stipulam, id est, peccata minima atque leuissima, quæ ignis facilè consumit. Hoc tamen sciendum est: quia illic saltem de minimis nil quisque purgationis obtinebit, nisi bonis hoc actibus in hac adhuc vita positus, ut illic obtineat, promereatur.

Quod vnus sit gehennæ ignis, sed non vno modo omnes cruciet. Caput LXIX.

Quæso te, vnus esse gehennæ ignis credendus est, an *Ex eodē.*
 quanta peccatorum diuersitas fuerit, tanta quoque *Pet. int.*
 & ipsa æstimanda sunt incendia esse præparata?
 Vnus quidem est gehennæ ignis, sed non vno modo omnes cruciat peccatores. Vniuscuiusque etenim quantum *Græ. ref.*
 exigit culpa, tantum illic sentietur pœna. Nam sicut in hoc mundo sub vno sole multi consistunt, nec tamen eiusdem solis ardorè æqualiter sentiunt: quia alius plus æstuat, atque alius minus: ita illic in vno igne non vnus est modus incendij: quia quod hic diuersitas corporum, hoc illic agit diuersitas peccatorum: ut & ignem nõ dissimilem habeant, & tamen eosdem singulos dissimiliter exuret.

SS iiii